AN ADVOCATI IN REBUSPUBLICIS SINT TOLERANDI?

DISQUISITIO,

QUAM

DIE XVII. MARTII, ANNI M DCC XXIX.

CUM

ACTUM DISPUTATORIUM

DE

CONCUSSIONIBUS ADVOCATORUM

AUSPICARETUR,

IN

CATHEDRA LIPSIENSI

MEMORITER RECITAVIT

D. JOH. GEORGIUS CRAMERUS.

LIPSIAE,

EX OFFICINA ERN. GOTTL. CRUGII.

M DCC XXIX.

A. O. O. Æ.

QUemadmodum in omnibus hominum ſtatibus pauci reperiuntur ſapientes; (a) ita ſub Advocatorum quoque ordine multos latere Rabulas, ne illi quidem diſſimulare poſſunt, qui eidem ſunt adſcripti. Poſteaquam enim priſca integritas & morum continentia ambitioni, avaritiæ & voluptati ceſſerunt, multorum linguæ factæ ſunt meritoriæ, imo mere-

(a) Habent omnes diſciplinæ ſua lumina, habent etiam ſua propudia, nec ſtrenui tantum pugnatores, ſed lixæ etiam & calones Apollinis caſtra ſequuntur. Veriſſime igitur cecinit OWENUS, Poeta Anglus ingenioſiſſimus:

Ægrotant Medici, fraudantur Jureperiti,
Deſcendunt multi in Tartara Theiologi.

triciæ ; (b) multi non ad laudis augmenta , ſed ad turpe compendium , ſtipemque deformem officii ſui arripuerunt occaſionem; (c) multi, de conſcientia & fama ſua parum ſoliciti, nocentiſſimis technis ſaluberrimas legum ſanctiones pervertere & fraudibus atque offuciis ſuis ſacratiſſima juſtitiæ templa expugnare non erubuerunt. Mirum igitur nemini videbitur, Advocatorum nomen omni fere tempore odioſum fuiſſe & paſſim male audiiſſe: Mirum nemini videbitur, multos in Advocatorum prorupiſſe vituperia, eorumque fœditatem, nequitiam & propudioſas artes integris perſtrinxiſſe commentationibus: (d) Mirum nemini vide-

(b) Recte monuit BALDUINUS *in vita Papiniani : Bonorum JCtorum linguas neque meritorias eſſe, neque meretricias.*

(c) Hæc reſpiciunt ad *Legem 6. ejusque ʃ. 5. Cod. de Poſtulando,* in qua VALENTINIANUS & VALENS, Imperatores ita reſcripſerunt : *Apud urbem autem Romanam etiam honoratis , qui hoc officium putaverint eligendum, eousque liceat orare, quousque maluerint, videlicet, ut non ad turpe compendium ſtipemque deformem hæc arripiatur occaſio, ſed laudis per eam augmenta quærantur. Nam ſi lucro pecuniaque capiantur, inter viliſſimos numerabuntur.*

(d) Vide PETRI BURMANNI *diſſ. de Fœditate eorum, qui*

videbitur, adeo exarsisse nonnullorum zelum, ut Advocatos e Rebuspublicis omnibus ejiciendos & exterminandos esse, confidenter asseveraverint. Iam olim sapientissimus ille Atheniensium Philosophus PLATO: *Causidicos beata Republica eliminandos esse*, censuit (e) & non incelebris inter Romanos Scriptores COLUMELLA: *Sine Causidicis olim satis felices fuisse, futurasque urbes*, enuntiavit. (f) Quid? quod

 inter

qui Advocatorio munere funguntur, *Ultraj: 1711.* HOLTERMANNUM *de Nequitia Advocatorum*, *Marb. 1712.* ZIEGLERI *Rabulisticam*, *seu de Artibus Rabulariis diss. Dresdæ 1685. 4to* evulgatam, LEONH. S. von MEHLTORFF *Juristen-Spiegel, nach Anleitung des Sprichworts: Juristen bæse Christen. Hamb. 1666. 12mo.* AHASVER. FRITSCHII *Advocatum peccantem, Wratislaviæ 1678. 8tavo, aliosque.*

(e) *Libro X. de Republica.* Neque tamen ideo existimandum est; Græcos & in specie Athenienses nullos tolerasse Advocatos. De Contrario enim ex certissimis constat antiquitatum monumentis. Vide DESID. HERALDI *Observationes ad Jus Atticum & Romanum c. XII.* & D. THOMÆ JONES, JCti Angli Humanissimi, *Prolusionum Academ. Oxoniæ anno 1660. in 8tavo editarum*, *P. I. seu Recitationes solennes in Tit. de Judiciis*, ex Antiquitatibus Hebræorum, Græcorum, & Romanorum egregie illustratas, *c. VIII. §. 5.*

(f) *In præfatione Libri I. de Re Rustica.*

inter recentiores etiam, non infimi subsellii, Eruditos reperti sunt, qui in æternum Advocatorum e Rebuspublicis quibusvis exilium conspirarent. (g) Variæ fuere rationes, quæ, ut in duram hancce ruerent sententiam, illos impulerunt. Exaggeraverunt in primis damna, quæ ex Advocatorum improborum dolis, fraudibus, laqueis, captiunculis, insidiis & circumventionibus omni tempore in Civitates abundantissime redundaverunt. Urserunt, quod illi sinceram & puram legum veritatem tricis & ambagibus implicent, tenebrisque obvolvant, quod lites concinnando & in secula protrahendo, communem tranquillitatem & concordiam turbent, cives exspolient, imo totis non raro exuant patrimoniis. Pro certo habuerunt, quod, remotis Advocatis, litigia Rebuspublicis semper infesta & infausta, sint omnino defutura. Deprædicarunt JUSTINIANI, Imperatoris in Causidicorum Constantinopolitanorum ordine evertendo studium. (h) Concelebrarunt vete-

(g) Cum JUSTO LIPSIO *L. II. Politic. XI.* BODINO *L. V. de Republica c. I.* MAGONIO *de Recta Patrocinandi ratione P. I. c. XI. n. 9.* MOD. PISTORE *in Proc. Jur. p. I.* aliisque. Confer CHRISTOPH. BESOLDUM *de Informatione & exactione subditorum fol. 171. seq.*

(h) De quo testatur PROCOPIUS *in Anecdotis, seu Historia arca-*

arcana, quam ex Bibliotheca Vaticana edidit & defendit NICOLAUS ALEMANNUS & quidem *Num. CCCCLXXXI.* his verbis, fecundum verfionem dicti Alemanni: *Primo Caufidicorum ordinem ftatuit evertendum, omnibus denegatis præmiis, quibus illi ampliffimis advocatione perfuncti, donari olim & augeri confueffent, juffisque litigatoribus in feque & in litem jurare, Caufidicorum fane cum probro atque moerore. Cæterum ex quo tempore Juftinianus fenatores, opulentosque alios, qui vel Byzantii, vel ubicunque in Imperio Romano effent, omnibus, ut declaravi, fortunis evertit; fummo in otio, fuit hic ordo, nulla jam reliqua dignitate, de qua fibi lites mortales concirent. Quamobrem Caufidici numero & dignitate perpauci, ac penitus abjecti & in fumma rerum ubique terrarum erant inopia, uno reliquo inftituto, quod ipfum illis effet oftentui.* Aft enimvero quam longe a vero aberraverit, quam imprudenter judicaverit Procopius, optime demonftravit THOMAS RIVIUS, Advocatus olim Anglicus, quem citat JOH. EICHELIUS *in Animadverfionibus, ad Procopii Anecdota Helmftadii anno 1654. in 4to.* editis, *p. 294.* fequentibus verbis: *Hic mihi fcilicet verendum eft, ne mei ordinis hoftem & inimicum tueri videar. Quid igitur eft, quod in Jurisconfultos deliquit Juftinianus? Omnibus, inquit, denegatis præmiis, quibus illi ampliffimis, advocatione perfuncti, donari olim & augeri confueverant. Nimirum, Alemanne, ante Juftinianum, ut anferes in Capitolio, ita in qualibet civitate Jurisconfulti, publicis fum-*

tibus

veterum GERMANORUM, (i) SVECORUM, (k) DA-

tibus alebantur, qui de jure responderant. Jure vero Civili, a Justiniano promulgato, & certa ratione concluso, omnes suis bonorariis vivebant, & ad ingentes tum honores, tum opes perveniebant. Legationibus, Assessionibus, Quæsturis, Senatoriis muneribus affatim fruebantur. Ne longe abeam, hic ipse Procopius, quid in se habuit, præter Rhetorices & Juris civilis, in quo omnium mortalium minime profecisse videtur, opinionem? & tamen ad quam excelsum honoris & dignitatis, cum rerum affluentia gradum ascenderit, jam audistis. Nam si jus Civile vel mediocriter tenuisset, nunquam ille in tot, tamque utiliter a Justiniano excogitatis & promulgatis legibus condemnandis, tam intolerabiliter peccasset.

(i) Antiquissimis temporibus, quibus jura & judicia majorum nostrorum simplicissima erant, nulli admissi sunt Advocati, sed ii, qui causas in judicio agitandas habuerunt, ipsi præsentes fuerunt, egerunt, exceperunt & se defenderunt simplicissimo modo, quo prolixissimas disputationes de mandatis, deque cautionibus, aliaque incommoda evitare poterant. Vide ILL. HOFFMANNI *diss. de Origine Procuratorum c. IV. §. 1.* Quid? quod gravissimum fuisse Germanorum veterum erga istiusmodi hominum genus, quod ex aliorum litigiis vivendi media petit, odium, satis constat ex FLORI *L. IV. Hist. c. XII. 13. seqq.* Cum enim Quinctilius Varus ausus esset forum agere in Germania & more

Romano

(k) DANORUM (l) & HUNGARORUM, (m) nec non hodier-

Romano Germanis jus dicere, hi, ut primum togas Causidicorum & sæviora armis jura viderunt, Duce Arminio armis correptis, alteram post Cannensem stragem Romanis ediderunt & præcipue in causarum patronos intolerantius insultarunt, aliis oculos eruentes, aliis manus amputantes. Unius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens Germanus: *Tandem*, dixit; *vipera, sibilare desiste.* Sed postea tamen, increscente legum numero, Advocatorum quoque usus apud Francos, non minus, quam reliquos Germanos invaluit, iidemque Assertores, Placitatores, Clamatores, Causidici & Ferendarii, Fürsprechers, appellati fuerunt. Conferatur DU FRESNE *Glossarium* sub vocibus: *Clamator, Ferendarius, Placitator.* LEHMANNUS *in Chron. Spir. L. II. c. 26.* HACHENBERGIUS *in Germ. Med. diss. III. §. 27.* HERTIUS in *Notit. Vet. Germ. pop. c. IV. §. 7.* ILL. GUNDLINGIUS *ad Tit. ff. de Postulando, p. 267.*

(k) De Jure SVEONUM & GOTHORUM *vetusto* hæc scribit STIERNHöök *L. I. c. 6. p. 72. Illud tamen nec commemoratione fortasse indignum, quod citantibus & citatis in persona comparendi necessitas, nec in criminalibus tantum, quod & hodie obtinet, sed & civilibus; Procuratores & Advocati hic prorsus ignoti, nec ad extremum admissi, nisi pro certis personis & certis in causis & sub certa etiam conditione. Conditio*

B *autem*

autem hæc fuit, ut principalis ipse eos in judicio sisteret, & constitueret, necessitate sua & causa absentiæ comprobata---. His autem solis habere permissum fuit, qui vel peregrini & linguæ morumque ignari essent, vel peregre profecturi, vel procul habitarent, vel ægrotarent. Illis solis per alios agere concessum, sed certis in causis. Omnes enim criminum & de fundis controversiæ exceptæ fuerunt. Sed quemadmodum dies diem docet, ita laxandam esse per procuratores & Advocatos agendi libertatem, recentiori tempore observarunt Juris Suecici conditores. Ita enim *in Processu Juris in Supremo Judicio Aulico Tit. XV.* sancitum legitur: *Quia sæpe usu venit, ut, qui bonam causam habet, non possit eam sic agere, ut decet, ac proferre, atque ita, dum non formaliter & ex fundamentis eam proponit, perdit ac corrumpit propriam suam causam: nec possunt judices tali modo satis informari de causæ circumstantiis, sic, ut judicare queant secundum optimam artem, uti Codex legum loquitur, sed coguntur sequi conjecturas & quod incertum est, atque ita post confusam & irrationabilem narrationem, sequitur confusa & irrationabilis sententia. Proinde hac constitutione actoribus & reis permissum erit, ut, si non ipsi velint aut possint causam & negotium suum coram judicio formaliter proponere, sibi comparent alios, qui hoc eorum nomine possint.*

(l) DANIÆ, Judicia Advocatos olim repulisse, testatus est JACOBUS, Angliæ & Scotiæ Rex, in gravissima ad Proceres Angliæ, die XX. Junii anni 1616. habita oratione, *Interprete* METERANO: *In denen Landen, da die formalitæten derer Gesetze keinen Platz haben, als in Dennemarck, wie ich solches selbst*

selbst gesehen, hat es eine andere Gelegenheit, sintemahl daselbsten alles durch die beschriebenen Gesetze gerichtet und geschlichtet und weder Advocat, noch Procurator zugelassen wird, sondern müssen die Partheyen ihre eigene Sachen selbst fürbringen und abhandeln: Wenn nun solches geschehen, stehet einer auf und lieset das Gesetz aus einen Buch ab, nach welchen das Urtheil gefællet wird, und hat also der Proceß ein Ende, also daß das Gesetz-Buch ihr Schiedsmann und Richter ist. Es wære zu wünschen, daß solcher Brauch überall eingeführet würde, und würden die Lænder glückselig seyn, so sich darein schicken kænten. In diesen und andern Landen aber wird in denen Gesetzen durch Verdrebung, seltzame Fünd und andere Sachen und Exempel Einstreuung viel Zweifels von spitzfündigen Leuthen verurhsachet. Ast enimvero non ubique eadem est Juris & judiciorum ratio. Non omnes terræ & civitates legibus paucis, concisis, statui illarum unice accommodatis, perspicuis & lingua vernacula conscriptis, gubernantur. Imo ipsi Dani quamvis hac felicitate & prærogativa semper gavisi sint, Advocatos tamen in certis casibus & causis omnino admittendos esse, recentiori ævo agnoverunt, prout ex CHRISTIANI V. *Legibus Danicis*, quas in Latinum idioma translatas, *Hafniæ anno 1699. in 4to* edidit HENR. WEGHORST, earumque *L. I. c. 9.* satis superque elucescit, Nam juxta Illius *legem 9.* in quavis civitate certi constituendi sunt Causidici. Per *legem 14.* liberum est per tutorem, propinquum aut famulum agere. Ruri tamen, secundum *legem 15.* nulli admittuntur Causidici, sed suam ipsemet quisque causam dicere, vel alium incorruptæ fidei virum substituere tenetur; imo

 litium

litium domini in judicio ſub mulcta comparere debent, quoties Judicibus ob evidentiam rei id viſum fuerit neceſſarium. Sed & ipſi POLONI, ad privata magis, quam publica Fori bella, proni, utilem tamen Advocatorum in Republica quavis, imo fere neceſſariam eſſe operam, dudum agnoverunt. Quamvis enim non in omnibus cauſis eos admittant, neque tamen ab omnibus illos arcent. Vide SIG. LIB. BAR. *de Reb. Moſch. in Sancto Baſil-* & ILLUSTREM AUCTOREM DES EUROPÆISCHEN HEROLDS *P. II. c. VII.* qui Advocatorum munus in Polonia hæreditarium eſſe, adnotavit.

(m) De HUNGARIÆ regno Graviſſimus Jureconſultus, FRANCISCUS DUARENUS *in oratione pro Nicolao Bugverio* refert: *Quo tempore Matthias Corvinus regni illius habenas tenuit, ſicut & ante illud tempus, præclaris legibus, inſtitutis ac moribus, ſed quam pauciſſimis gubernatum populum, Jurisprudentia Romana etiam non poſthabita, ſed veteri illa, non ſcholaſtica Doctorum Accurſianorum, nec vero quicquam facilius fuiſſe, quam lites omnes dirimere. Mox cum, ducta a Rege in uxorem filia Regis Neapolitani Ferdinandi, Jureconſulti Italici Celeberrimo Regi perſuaſiſſent, ut ſubtilior quædam actionum & judiciorum formula populo præſcriberetur, omnia litibus fervere cœpiſſe & luem iſtam magis magisque graſſatam eſſe, donec Jureconſultos illos tandem Rex prudentiſſimus expuliſſet & rem omnem judiciariam ad priſtinam ſimplicitatem revocaſſet.* Confer: LUDOVICUS VIVES *L. VII. de cauſ. corr. art.* & præclarum illud Jureconſultorum par, FRANCISCUS BALDUINUS *L. II. de Hiſtoria* &

FRAN-

hodiernorum HELVETORUM (n) felicitatem, quorum judicia nulla vel olim obsederit, vel hodie obsideat Advocatorum clamosa caterva. Laudarunt FERDINANDI, Hispaniarum

 rum

FRANCISCUS HOTOMANNUS *Cap. XVII. Antitriboniani*, qui: *Corvinum Regem Doctores eo cum privilegio regno ejecisse*, narrat, *ne quis imposterum de iis loqueretur;* annectit etiam sequens judicium: *Et re vera mirum est, in provinciis, ubi libri Justinianei plurimum auctoritatis habent, quam ubertim lites & causæ proveniant & propagentur. Quin videtur Justinianus libris suis non aliter causidicos & rabulas progenerare, quam Cadmus olim seminatis Draconis dentibus bellatores produxit.*

(n) An HELVETI hodierni Advocatorum utantur patrociniis, dubium reddit, JUSTUS SIMLERUS, dum *de Republica Helvetorum L. II. p. 139.* sic loquitur: *Disceptantur autem causæ non ex Romano jure & Responsis Jureconsultorum, sed ex æquo & bono & legibus atque consuetudinibus singulorum populorum. Scio hanc agendi rationem barbaram a multis judicari, qui existimant, tantum jure scripto Romanorum utendum esse, sine quo in gravium & obscurarum controversiarum explicatione, sæpe etiam homines prudentes a vero & justo aberrent. Ego vero Romanas leges, a prudentissimis viris conscriptas, magni facio, neque illarum auctoritatem vel verbulo labefactatam velim, sed controversiarum disceptationi, quæ hodie in usu est & judiciis illis nostri temporis, in quibus ex Jure*

Jure Romano jus dicitur, noſtram agendi & dijudicandi rationem anteponendam duco & id judicio bonorum & non litigioſorum hominum me probaturum confido. Primum enim negari non poteſt, plerosque Cauſidicorum non tam juſtitiæ & æquitatis, quam, juris ſtudioſos, qui ſingula verba & ſyllabas legum venerantur, & ſuo arbitrio exponunt, captiunculas aliquas ſimplicibus ſtruere. Deinde cuncta fere ab his ad privatum commodum referuntur: unde non explicandis, ſed involvendis & obſcurandis controverſiis operam dant, ita fit, ut lites in multos annos extrahantur & ſæpe etiam ad nepotes transmittantur, ſumma cum moleſtia utriusque partis & immenſo ſumtu, quo nonnunquam integra patrimonia exhauriuntur. Unde non immerito quidam pragmaticos hos & cauſidicos ſanguiſugas & hirudines appellare ſolent, qui opes vulgi & ipſum etiam ſanguinem exugant. Quodſi in noſtris judiciis nonnunquam error aliquis committitur in cauſis implicatis & obſcuris, quæ tamen rarius occurrunt, nequaquam tantum damni inde datur, quantum ex litium illa prorogatione accipitur. Aſt enimvero his verbis SIMLERUS, non Advocatos, ſed eorum nequitias, ex Juris Juſtinianei abuſu oriundas, cum ipſo Jure Juſtinianeo in Helvetia exulare, indigitat. Ita enim FRANCISCUS HOTOMANNUS *in Cap. XVII. Antitriboniani differit; Ex diverſo in quibusdam Germaniæ locis & præcipue in Helvetia, ubi parum auctoritatis & pretii his (Juſtiniani) libris tribuitur, nec centeſima litium pars invenitur, nec milleſima pars Cauſidicorum ſcribarumque. Nam qui in Germania verſati ſunt, narrant, in maximis & pulcherri-*

rum Regis prudentiam & providentiam, qua Advocatos in Indiam ideo non miserit, ne litium semina mitteret. (o) Commendaverunt FRIDERICI tertii, Imperatoris, consilium, quo per Reformationem Imperii, quam exhibet GOLDASTUS, Doctoribus Juris, quos Juris & justitiæ vitricos appellavit Imperator, Judiciorum fores penitus occludere tentavit: (p) Illud autem ad effectum deductum non fuisse, gravissime indoluerunt.

Ast

cberrimis civitatibus, veluti Argentorati, Norimbergæ, Augustæ Vindelicoram non plures esse ad omnes lites, quam octo & decem procuratores, Advocatos vero etiam pauciores.

(o) Notante BODINO *L. V. de Republica cap. I.*

(p) *Reformatio Politica*, quam promulgare constituit FRIDERICUS III. Imperator & quæ extat apud GOLDASTUM *in P. I. Derer Reichs-Satzungen, fol. 167. seq. articulo V.* sancit: *Daß alle Doctores der Rechten, sie seynd geistlich oder weltlich, im Heiligen Rœmischen Reich Teutscher Nation, sollen, nach Laut der fürgenommenen Reformation, an keinen Gericht, bey keinen Rechten, auch in keines Fürsten oder andern Rathen mehr gelitten, sondern gantz abgethan werden, sie sollen auch fürbashin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden, schreiben, oder Rath geben: Sintemahls Gott den Menschen mit seiner eigenen Weisheit begnadet und versehen hat, so mag er in der neuen vorgenommenen Ordnung seines Rechten*

selbst

selbst wohl warten ; & in declaratione secunda ejusdem articuli: *Die andere Erklærung des fünfften articuls derselben Declaration ist im Heiligen Reich Teutscher Nation also fürgenommen, daß an keinen Rechten, hoch oder niedern Standes, keine Doctores sollen sitzen, helffen Rechtsprechen, schoepffen noch beschliessen. Wann ihnen das mehr, denn den Leyen verschlossen ist, und kan ihrer keiner einen Schlüssel darzu finden, bis beyde Theil arm werden, oder gar verdorben seynd, aber der Ley behælt doch den Schlüssel zum Rechten bey ihme, daß man zu ziemlicher Zeit das Recht herfürbringen mag. Aus diesen Ursachen kan man die Gelehrten in keinen Rechten mehr leiden. Darzu sind es nur besoldte Knechte, und nicht Erb-Diener des Rechten. Die dritte Erklærung des fünfften Articuls derselben Declaration die ist also fürgenommen, daß im gantzen Ræmischen Reich Teutscher Nation keine Doctores mehr vor keinen Rechten weder reden, procuriren oder weiter procediren sollen, in Schrifften oder andern Rathschlægen: Sondern aller weltlichen Rechte müssig stehen, darum daß sie Stieff-Væter und nicht die rechten Erben des Rechten seynd: Dann sie nehmen ihme den Grund der Wahrheit, und bringen durch ihren unordentlichen Geitz das Recht zu einen solchen Unglauben, daß kein fromb Mann sein Vertrauen mehr darein setzen mag. Das hat euer verkehrte Lehre inner funffzig Jahren zu wegebracht, wo ist es vor erhöret worden?* Ast summo jure HERMANNUS CONRINGIUS *in tractatu de Origine Juris Germanici c. XXXII.* iniquitatis incusavit istud consilium, cum, utut illi peritorum Ju-

ris

Aſt enimvero nimis inconſiderate & præcipitanter judicarunt, qui tam iniquam contra univerſum Advocatorum ordinem ſententiam pronuntiaverunt. Fruſtra, & non ſine ſumma injuria, Rabularum malitia omnibus in genere imputatur Advocatis. (q) Fruſtra ſupervacuum eſſe Advocatorum

C in

ris Romani ordini quædam permiſta tum fuerint vitilitigatoria ingenia, non tamen paucorum vitio laudatiſſimus alias ordo proſcindi meruerit. Ea propter Statuum Imperii proviſu factum, quo minus ante memorata ſanctio approbaretur, aut in Imperio reciperetur, quod ſimiliter aliis, ab eodem Imperatore ſine effectu latis, & nonnunquam a recto tramite ſecedentibus, conſtitutionibus accidiſſe ſcimus. Vide GOLDASTUM, *citato loco, fol. 312.* & LIMNÆUM *in L. IV. Jur. Publ. c. IV. n. 18. & L. VIII. c. 4. n. II.*

(q) HENELIUS *in Otii Wratislavienſis Cap. VI.* Advocatorum avaritiam notans, *p. 49.* ita judicat: *Eo Cauſidici pervenerunt, ut nullum jus, nullum fas præ oculis habentes, ſed tanquam avaritiæ venundati & uſucapti, nihil præter interminatam petendi licentiam norint. At enimvero Rabularum hoc forenſium & veteratorum eſt, quorum piraticæ ſicut modis omnibus occurrendum nemo negaverit, ita culpa cæteris omnibus, (quod omnis æquitas exigit, quod nulla iniquitas negat,) minime imputanda venit.* Scilicet aliud eſt Jurisprudentia, aliud ars Rabularia. Aliud artificium, aliud maleficium. Sequeſtri igitur judicandum animo, nec, quod Rabularum eſt proprium, omnibus impingendum Advocatis.

in Rebuspublicis officium, hasque illorum opera omnimodo carere posse, creditur. Frustra, ejectis Advocatis, lites penitus cessaturas fore, speratur. In alia omnia abeunt sagaciores & justiores harum rerum æstimatores, qui non omnes tam emunctæ naris esse, ut circumstantiis facti accurate eruendis & perspicue proponendis; (r) ut legibus patriæ exacte intelligendis & rite applicandis sufficiant; Non omnes omni tempore in judiciis comparere & proprias causas agere; Non omnes adversus judicum, qui nec ipsi angeli sunt, pravitates se tueri posse, æqua mentis lance expendunt. Hi etenim, calculo probe subducto, Advocatos in Rebuspublicis quibusvis non solum tolerandos & honorandos, sed & eorum officium maxime proficuum atque necessarium esse, prudentissime decidunt.

(r) Audiamus DAV. MEVIUM, *in Prodromo Jurisprudentiæ Gentium communis, ejusque Inspect. IX. §. 18.* ita disserentem: *Opinantur nonnulli supervacuam esse, illam Advocatorum operam, quia Judex æque a partibus, quam a causarum patronis de facto dijudicando informari queat. Sed nonnullis per animi corporisque defectus, ætatis & sexus conditionem, aliaque impedimenta, ea proponendi facultas deest; Plurimis, quibus omnia ea integra sunt, dexteritas & sapientia; sicut judicio expedit, in forum sua producendi: In quo non satis est qualiter qualiter, quæ in mentem veniunt, referre, sed considerato ac congrue, ut & verificare & juri accommodare liceat.*

cidunt. (s) Et quid de Germania nostra dicemus, quæ, nostro

C 2 ævo

(s) Vide CONRINGIUM *de Forma Judiciorum in Republ.* §. 20. SCHILTERI *Exercitat. ad Pand. X.* §. *XI.* ILL. THOMASIUM *in Notis ad LANCELLOTTI Inst. Jur. Can. L. III. tit. 2. n. 1. 8. p. 1356.* ILL. LUDEWIGII Orat. *de Emendanda Jurisprudentia Germ. p. 19.* ANT. FABRUM *ad Leg. I.* §. *8. de Postulando.* LINCKERUM *in Præscript. Publ. c. IV.* §. *4. seq.* ILLUSTR. HOFFMANNUM *in diss. de Origine Procuratorum c. I.* §. *3. seq.* BRUNNEMANNUM *in Proc. Civ. c. I.* ZIEGLERUM *in Rabulistica c. I.* §. *17.* THOMÆ LANSII elegantissimam *dissertationem pro Jurisprudentia* quæ extat in Mantissa Consultationum & orationum p. 301. seq. & inprimis laudatissimum D. THOMAS JONES, *in Recitationibus solennibus in Tit. de Judiciis*, supra jamjam allegatis, earumque *Capite VIII.* ubi §. *1.--6.* ut illorum, qui Advocatos, tanquam rerumpublicarum pestes, damnant, temeritati & impudentiæ occurreret; 1) Causarum patronorum munus ab antiquissimis temporibus inter moratiores populos publico usu fuisse receptum; 2) ubicunque pax & justitia colitur, ibi horum Antistitum ministerio leges uti necesse esse, solide demonstravit, atque omnibus accurate deductis *p. 294.* ita conclusit: *Hinc constat litigatores suis viribus diffisos advocationem a judice semper postulasse. Nam licet leges tum Atticæ, tum Romanæ causam suam perorandi potestatem privato cuivis concesserunt, suadet tamen necessitas oratoris in juris apiculis versatissimi operam conducere, nisi de bona causa rem suam inconsulte*

ævo, juribus non minus propriis, quam peregrinis & adoptatis regitur, iisdemque diffusis & confusis, statui provinciarum parum congruis, sibi invicem contrariis & passim adeo obscuris, ut horrere spinis omnibus videantur omnia, & ut ipsis non raro aqua hæreat viris, Jurium consultissimis. (t) Quis igitur

sulte agendo cadere quis malit. Sic ægrotus Medici auxilium implorat, omnesque in arte sua peritissimum quovis pretio sibi comparare concupiscunt. Unde mirari subit novandi studium, quod in hoc pruriente seculo hominum animos incessit, qui causarum patronos, in studio legum ab unguiculis enutritos, a foro procul abigere conantur, quorum vicem supplere volunt sartores, cæmentarios, fabros ferrarios; tales, inquam, qui sententiam non prout leges jubent, vel recta ratio dictitat, proferant, vel potius primum motum abalienatæ mentis, vel pectoris divino halitu fæcundi dictamen sequantur.

(t) MEVIUS, loco supra citato, *Inspect. IX. §. 6. At multis*, inquit, *in locis alia est Jurium & Jurisprudentiæ ratio intricatior & difficilior, quam ut sine magno studio noscenda, sine insigniore perita exercenda. Ubi quibus Reipublicæ cura in Curia, Regimine, Judiciis committitur, necessaria Jurisprudentiæ cognitione non pollent, aut juris legumque ea est amplitudo, ut & conditio, ut nec disci, nec exerceri queant sine ductu Jurisperitorum, defectus necessariæ in aliis scientiæ aliquos, qui eam disciplina & usu profiteantur, desiderat. Illuc*

Illuc deventum est cum Romana Jurisprudentia, ut scire & observare, ideo justitiam colere absque iis impossibile repertum sit. Inde esse, qui isti se dedunt, functionibus justitiæ præficere, magnifacere & magna auctoritate ornare, necessarium redditum est. POMPONIUS *in L. II. §. 12. ff. de Origine Juris. Jus, dicit, constare non posse, nisi sint Jurisperiti, per quos possit quotidie in melius produci. Germania, postquam Leges Romanas recepit, idem experta, quam non possibile sit, istas sine jurisprudentibus intelligi, coli, servari: Cum istis hi ubique in scholas, curias, fora recepti, plurimum valuerunt & æstimati sunt.* Quam conturbate vero, si legum imperfectionem, confusionem, obscuritatem, multitudinem, contrarietatem inspicias ipsa ipsius Juris Romani compages, ex tot diversissimorum, diversas sectas, diversas doctrinas foventium Jureconsultorum principiis consarcinata, sese habeat, quamque ea ad statum Germaniæ minime quadret, ex ipsa historia tum ante- tum post- Justinianea evidentissime demonstravit nondum refutatus THOMASIUS *in tr. de Nævis Jurisprudentiæ Ante-Justinianeæ & Delineatione Historiæ Juris, passim*, cujus asserta confirmarunt ILL. HOFFMANNUS *in Vol. II. Hist. Jur. L. II. c. II.* Celeberr. STRUVIUS *in Cap. III. Hist. Jur. §. V.* Dn. LUDOVICI *in præf. ad Compendium Novellarum.* Legi etiam merentur HENR. ERN. KESTNERI, JCti Rinthelienfis Famigeratissimi *Dissertationes de defectibus Juris Communis in Republica Germanica Rinthelii anno 1718. editæ*, quibus accessit PHILIPPI BURCHARDI *de Hodiernæ Jurisprudentiæ nævis & remediis* discursus; pariterque com-

tur in tam onerosa legum mole; Quis in tam dissimili earundem diversitate, in tam ancipite collisione & horrida caligine; Quis denique in tam dubia illarum auctoritate (u) Advocatorum non agnoscet necessitatem? Quodsi modum procedendi, in foris Germaniæ receptum, non simplicem & planum, sed ambagiosum, multis subtilitatibus intricatum & variis fatalium observationibus adstrictum, consideremus; (v) Quodsi

mendandas censeo ERN. JOH. WESTPHALII, JCti Megapolitani binas commentationes, unam *de distincta practica ratione in Jure privato Rom. Germ.* Neo-Brandenburgi & Lipsiæ anno 1724. alteram *de Juris Romani indole & obligandi diversa ratione ac dignitate in Foris apud Romanos & Germanos, Rostochii & Lipsiæ anno 1726. in 4to evulgatas.*

(u) Confer. Illustr. GRIEBNERI solidissimam commentationem *de Jure incerto ex dubia legum, quibus utimur, auctoritate oriundo, Witteb. 1715.* evulgatam.

(v) Iterum evocandi sunt MEVII manes, qui in *Prodromo Jurisprud. Gent. Com. Insp. IX. §. 18.* his verbis dicta nostra confirmavit: *Postquam ordo in via juris adjusta procedendi certus pro compendio præscriptus est & fere ubique suus curiæ stylus est, tanto magis opus est consilio & ductu Jurisperiti, quod nisi e doctis & expertis quæ istius sunt, non constant. Et quam hi aliquando circa hæc labantur & fallantur, per experientiam noscitur.*

ſi Judicum nonnullorum, præcipue paganorum, ad corruptiones & innocentium diſpoliationes atque oppreſſiones proclivitatem contemplemur; multo certius in ea confirmabimur ſententia, nullas magis Advocatorum patrociniis egere, quam Patriæ noſtræ Reſpublicas.

Vigeant igitur & floreant probi & religioſi Advocati, juris & juſtitiæ cuſtodes & conſervatores, qui labentibus rebus ſuccurrunt & lapſas reſtituunt, qui miſerorum ſunt ſolatium & afflictorum præſidium. Pereant & ad Garamantes relegentur improbi & effrontes Rabulæ, juris & juſtitiæ corruptores peſſimi, qui nefariis ſuis artibus, flagitiis & ſceleribus univerſum Advocatorum ordinem proſtituunt & ludibrio vulgi exponunt. In hos igitur calamum ſtringere; horum turpiſſimas in primis concuſſiones perſtringere; his ſeveras legum ſanctiones in animum revocare, neque intempeſtivum cenſuimus, neque inconſultum. An vero ea, quæ hac ex parte in chartam conjecimus, firmo nitantur talo, id quidem publicæ jamjam erit diſquiſitionis. Favete igitur auribus, favete animis, AUDITORES HONORATISSIMI, & ſi fortean præter omnem ſpem atque opinionem erroris convincemur, veriſſimum eſſe cogitate, quod JUSTINIANUS Imperator ſapientiſſime alicubi monuit: (x)

IN

(x) In *Lege II. ʃ. 13. Cod. de Veteri Jure enucleando.*

IN NULLO ABERRARE ET IN OMNIBUS IRREPREHENSIBILEM AC INEMENDABILEM ESSE, DIVINÆ UTIQUE SOLIUS, NON AUTEM MORTALIS ESSE CONSTANTIÆ.

FINIS.